

pellensis in Documento pastorali anni 1711. 14. Maji : „ Ii (inquiunt) quorum scopus hic erat, ut Illustrissimus Præsul *Observationes* illas approbaret, excerpserunt quasdam ex libro Propositiones, quas ad eum miserunt, ex quibus judicare poterat, nihil esse in iis Observationibus Fidei orthodoxæ contrarium, in iis, quæ ad gratiam Divinam pertinent. Hinc factum est, ut postquam eas propositiones excerptas legisset, scriberet librum, quem hodie proferunt; Sed ex eo nihil possunt conficere, postquam ipsi docuere quàm brevè Episcopus Meldensis sententiam mutaverit; quàm ipse mutationem non dissimulandam esse duxit. „ Ita illi Antistites.

Addunt alii, constare quoque, Bossuetium centum, & viginti locos in editione proximâ *Observationum Moralium* mutari voluisse; Quàmnam autem occasione factum sit, ut librum ante à se probatum, accuratius introspiceret, probabilis conjectura est Lucionensis, & Rupellensis Antistitum in Documento citato, quòd Carnotensis Episcopus tam averfus animo ab Observationibus Moralibus, quàm amicus Meldensi Præsuli, huic persuaserit, ut aliquid diligentioris operæ in examinandis illis quatuor voluminibus poneret: id se ex testibus fide dignissimis, & utriusque Antistiti necessitudine conjunctis accepisse declarant.

Sed qualiscunque fuerit Meldensi Episcopo sententiæ mutandæ occasio, mutasse eum certissimum est, ipsorum testimonio adversariorum. Prodiit enim famosum *Problema* contra Eminentissimum Archiepiscopum Parisiensem anno 1698: adversus illud anno sequenti composuit Meldensis jactatam adeò ab adversariis *justificationem*: Dein eodem anno 1699. 27. Martii ad Quænellum notus ejus affecta Willartius scripsit: *Quedam suspicio est P. Du Perron huic libro* (Observationum Moralium) *adversari*. Nomine *Du Perron* Meldensem Episcopum significari constat ex Jansenianorum clavi exhibitâ in *Causa Quænellianâ* pag. 325. Idem rursus anno 1700. die 30. Januarii ad eundem, *Nihil*, inquit, *novi scio de tumultu, quem excitant quatuor Fratres, præter hoc unum, quod etiam Dominus Du Perron iis adversetur. Sed istud tantum heri rescivi*. Quatuor Fratres esse quatuor tomos *Observationum Moralium*, eadem nobis clavis aperuit.

Eodem anno 1700. *Abbas Dambes*, sub qua appellatione in clavi notatur Abbas Couet, epistolam dedit anonymam ad ipsum Meldensem Antistitem, qui ad Cleri Gallicani comitia venerat. Quâ ei exprobrat judicium de *Observationibus Moralibus* minimè

honorificum: *Multos* inquit *Abbas, novimus, quibus dixisti, quinque illas Propositiones* (Jansenii hæreticas) *in libro Patris Quæsnelli reperiri*. Ac dein; *Nec è memoria tua fortasse excidit, Præsul Illustrissime, te nuper factum esse cuidam in Comitibus Archiepiscopo, puros, & apertos Jansenii errores in libro contineri*. Hæc in causâ Quænellianâ jussu Archiepiscopi Mechliniensis editâ anno 1704. ; ubi si minùs mireris, saltèm detestaberis, lætor Catholice, impudentem Jansenistarum perfidiam, qui octo annis post, defuncto Meldensi Antistite, non solummodò typis ediderunt, quàm priùs deceptus scripserat Observationum Moralium Apologiam, sive ut vocant *Justificationem*; sed etiam ei addere ausi sunt mendacissimam præfationem, quâ asserunt, *Illustrissimum Meldensem Episcopum istas in Novum Testamentum Observationes semper magni fecisse*. Id scilicet est semper magni facere lucubrationem, de ea *affirmare, quod puros, & apertos Jansenii errores contineat*. Nos meliùs Veritati, Justitiæ, atque defuncti Antistitis famæ consulentes, nullam prioris ejus, atque errantis judicii, sed posterioris solummodò, & correcti habendam imposterum duximus rationem. Non difficilior est aliorum excusatio Præsulum, qui eruditionis palmam Meldensi ultro deferunt, & amplitudine Diœcesum, curarumque multitudine distracti, non abundabant otio, ut tomos quatuor, quantâ ad censuram opus erat, attentione perlegerent; Quare examen commiserunt Theologis, quorum proinde seu oscitantia, seu imprudentia, seu, quod deterius foret, propensionem in novitates, tribuendum, quidquid in approbato ab eis Opere superfuit erroris. Si verò, postquam PETRUS per CLEMENTEM locutus est, summiq; ut par erat, Pastoris vocem universa audivit, ac sequitur Ecclesia, adhuc quidam tenebriones ausi fuerunt Episcopos prensare, ut secum in crimen Schismatis, hæreseos ac tandem in exitium certum pertrahant, repellendi procul sunt; vel comprehendendi potius, eorumque temeritas carceribus frænanda; etsi graviori digna supplicio. Si tamen, quod avertant Superi, Episcopalem alicubi dignitatem ea lues corripere, lapsò Præsule, respondendum à cæteris foret Episcopis, quod Eutychetti ad hæreseos consortium sollicitanti respondit S. Petrus Chrysologus Ravennatam Antistes, postquam terruit funesto Origenis, & Nestorii lapsu, *in omnibus, inquit, hortamur te, Frater honorabilis, ut his, quæ à Beatissimo Papa Romana Civitatis scripta sunt, obedienter attendas; Quoniam Beatus Petrus, qui in propria Sede vivit, & præsidet,*